

quod in multis evenire solet, qui in germani cognative corporis dolore non minus quam in suo torqueantur. Nec dubium esse, eum qui in Hetruria hostiliter libertatem oppugnet, ubique etiam, si possit, id esse facturum, ac tyrannos imprimis, quibus libertatis nomen formidolosum fuit semper & inimicum: sed eum visurum, quo animo in reliquos esset futurus. Veneti, quando eo consilio fœdus cum Philippo percussissent, ut tam diu in ipsius amicitia permanerent, quoad paterno principatu contentum a vicinorum injuria abstinere, ocioque ac paci studere viderent, quum Florentinos, nulla eorum majore culpa, quam quod suis viribus uti nesciverint, ab eo diuturno bello confici, neque boni ducerent, neque laturi essent, nisi Flaminia, nisi Hetruria decederet, nisi intra præscriptos ex fœdere fines se teneret, nisi florentissimo principatu contentus, quietus deinceps ac pacatus ageret: ut suam Florentinorumque salutem una tuerentur, bellum in eum, ut in tyrannum, ut in hostem infestissimum, quam maxima possent ope, comparaturos. Moverat Cornarii oratio non mediocriter Philippi animum: sed dissimulata ad tempus ira, pacato vultu paucissima subjecit, quibus diceret: Certo scire se, Venetos sua fide & constantia fœdera, quæ secum sanxissent, omnino servaturos: quæ si nulla etiam essent, haud sibi persuaderi posse, Florentinos (quorum insidias, fraudes, furta, publice & privatim Veneti odissent) sibi in amicitia ab illis unquam præferendos: nec esse (si Veneti vetustissimam familiæ suæ amicitiam, si Galeacii patris studium, si observantiam suam respicere velint) cur ab eis injuriam ullam aut incommodum expectari oporteret. Quod vero ad bellum attineret, etsi certo sciret, prius Florentinos suæ perfidiæ & temeritatis meritas sibi pœnas daturos, quam aut Venetus, aut alius quisquam accisis illorum rebus succurrere posset: tamen paratum esse se, id Veneto nomini præstare, cui nihil unquam denegatum voluit: ac si per Florentinos liceat, utrorumque causam Venetis & Nicolao Æstensi cognoscendam demandare. Cum his Cornarius missus: quem abeuntem Joannes Aretinus, qui Galeacii patris scriba fuerat, & Beltrandus Lamponianus haud multo post secuti sunt.

Con-

Responsio
Philippi.

Florentini
& Philip-
pus legatos
mittunt Ve-
netias.